

P. P.



Rgone inauspicata Reipublicæ litterariæ nova Acta nostra eruditorum parabant, eamque ob causam pensum Januarii mensis fatalis distulit mora, ut triste esset atque infelix anni hujus M DCC VII auspiciis? Nempe notari ut posset in hisce doctorum fastis atra dies, dies inquam XXIX Januarii, quæ Virum amplissima inter eruditos fama, meritis in Rempublicam litterariam maximis, virtute consummata, &, ut verbo omnia complectar, MENKENIUM nostrum, primum horum fastorum condendorum autorem, nobis, proh dolor! summo Rei litterariæ damno abstulit.

Vos ego Scribas publicos, vos ego Pontifices, non quibus Ægyptii Romanive, sed quibus Musarum Princeps, suffragante S. P. Q. doctorum, *Actorum*, fastorumque publicorum curam demandavit, vos inquam *Actorum Eruditorum* hucusque sub tanti Viri auspiciis *Curatores* compello, si vocis tamen lugubris atque obscuræ compellatio ad vos per densas luctus fuligines nebulasque valeat penetrare. Adeste, adeste, sapientia vestra, judicandi facultate, eloquentiæ & styli virtute atque acumine certatim conamini. Efficite, ut Viri inter principes Reip. litterariæ conspicui memoria, virtutibus ejus digna meritisque, fastis vestris condatur. Quam omne quod vixit tempus, in optimarum disciplinarum, prudentiæ denique ac sapientiæ studiis ipsi sit collocatum, ordine percensete. Quam eximiis animi facultatibus eum natura donaverit, utque eas laboris, quamdiu licuit, auxerit pervicacia & assiduitate. Ut doctrina inde extiterit ejus solida, varia, cujus nomine admirationi omnibus esset. Ut sermonis nitore ceterisque humanitatis studiis & literaturâ, quæ omnium virtutum maxima Constantio & Juliano Imperatoribus dicitur, famam habuerit. Ut historiæ fuerit scientissimus, antiquitatum solertissimus indagator. Ut animum habuerit sapientiæ studiis, eis præcipue, quæ ad mores spectat, & civilis sapientiæ nomine continetur, penitus imbutum. Ut ad summorum Virorum amicitiam istæ virtutes tum in patria, tum inter externos viam ei patefecerint: sive illam præsentem conjuncta cum reliquis præclaris dotibus summa humanitas, sive absenti fama, litteræ, & eruditionis splendor conciliarent. Scriptas ad eum ab eruditis imo purpuratis viris ex Italia, Gallia, Anglia, Belgio litteras excutite, ab AGVIRRIS, inquam, NORISIIS, MAGLIABECCHIS, FABRETTIS, CIAMPINIS, CAVEIS, GALÆIS, GRÆVIIS, PERIZONIIS, ut alios innumeros nunc taceam. Qua via, quibus gres-

gres-